

32. 2º. Per dispensationem Summi Pontificis. Et quidem licet antiquissima exempla hujus dispensationis non habeantur, tamen exempla proferri possunt Martini V., Eugenii IV., Pauli III., Pii IV. et successorum Romanorum Pontificum.

Qua in re præstat animadvertere matrimonium ratum in citatis exemplis non fuisse solummodo declaratum ut nullum, sed fuisse revera resolutum vinculum per potestatem Ecclesiæ. Nam licet plerumque dispensatio facta fuerit ob impedimentum impotentiae, tamen revera resolutum est vinculum, et non declaratum nullum matrimonium. Etenim in allatis exemplis ita dispensatio data est quoad vinculum, ut quamvis inde conjuges apparuerint potentes, tamen iterum non conjungebantur, nec reintegrabatur matrimonium. Quod fieri debuisset, si fuisse solummodo declaratum nullum matrimonium ex capite impotentiae juxta ea, quæ diximus in tit. ‘*De frigidis et maleficiatis*’.

33. Quod vero in Ecclesia sit potestas hæc dissolvendi vinculum matrimonii rati et non consummati, non solum patet ex facto publico et authentico Romanorum Pontificum, sed etiam ex capp. 2. et 7. *De convers. Conjug. et ex can. 6. sess. 24. De reform. Matr.* in Concil. Tridentino ubi traditur per professionem solemnem Religionis dissolvi idem vinculum matrimonii rati.

Dico ‘*patet*’ id ex hisce locis, nam solemnitas votorum tota est ex jure ecclesiastico. Quare resolutio vinculi matrimonii rati et nondum consummati per professionem religiosam ex jure ecclesiastico procedit. A pari ergo potestas suprema Ecclesiæ, quæ residet in Romano Pontifice, poterit dispensare circa vinculum matrimonii simpliciter rati.

34. Ratio autem fundamentalis hujus juris dispensandi est, quia matrimonio solummodo rato non competit ea omnimoda indissolubilitas juris divini cui applicari possit illud ‘*Quod Deus coniunxit homo non separat*’.

35. Quid dicendum de divortio quoad vinculum, quod ex capite nullitatis matrimonii requiratur?

Primo quidem conjuges licet certi sint de existentia impedimenti dirimenti, tamen auctoritate privata non possunt a matrimonio recedere. Quod enim coram Ecclesia celebratum est iudicio Ecclesiæ ipsius resolvi debet, c. 3. h. t. In hoc capite Pontifex sub pena excommunicationis obligat aliquem ad recipiendam suam uxorem, quam ob notoriam consanguinitatem deseruerat.

36. Attamen posita conscientia impedimenti, non possunt coniuges matrimonio uti, sed vivere debent ceu frater et soror, quo ad usque Ecclesia declaraverit nullitatem matrimonii. Imo neque uti debent matrimonio licet ex præcepto superioris cum comminatione censurarum fortasse ad id faciendum adigerentur, *Cap. 13. De Restit. Spoliat.*

37. Porro in iudicio de nullitate matrimonii non sufficit quælibet probatio, sed plena probatio necessaria est. Argum. *ex cap. 1. De Consang. et Aff. et ex cap. 22. De Testibus.* Pro valore enim matrimonii præsumendum est, quo ad usque contrarium probatum non fuerit. Hinc non sufficit assertio etiam utriusque conjugis, qui impedimenti existentiam enuncient, licet rumor vicinæ accesserit, *Cap. 5. ‘De eo qui cognovit.’*

Cæterum quomodo procedendum sit in causa nullitatis matrimonii, jam diximus superius in titulo præcedenti XV. ubi exhibuimus Constit. ‘*Dei Miseratione*’ Benedicti XIV. necnon instructionem S. Congregationis Concilii diei 22. Augusti an. 1840.

De divortio quoad torum et cohabitationem.

38. In matrimonio etiam rato et consummato fidelium, quod quoad vinculum est absolute indissoluble, potest admitti dissociatio illius consuetudinis vitæ individuæ, ad quam ordinatur matrimonium, scilicet potest locum habere divortium *semiplenum*.

39. Divortium hujusmodi potest verificari vel ex mutuo consensu, vel alterutro coniuge dissentiente. Mutuo consensu per agitur divortium, cum uterque ingreditur Religionem, vel mulier concedit viro clericalem militiam amplectendi, juxta dicta in titulo *De convers. Conjugat. lib. 3.* Hoc insuper divortium saltem quoad torum ex mutuo consensu præsertim quoad tempus juxta dicta Apostoli Pauli 1. Cor. VII. fieri potest, quia a nullo jure prohibetur.

40. Etiam altero coniuge dissentiente fieri potest divortium *semiplenum* ex legitima causa.

Causæ autem hujusmodi aliae ex se gignunt solummodo temporaneum divortium. Una vero, scilicet *adulterium*, natura sua tribuit coniugi innocentij jus in perpetuum divertendi a coniuge adultero. Breviter antea agimus de prioribus.

41. Prima causa est *lapsus in hæresim vel infidelitatem*, qui lapsus a Doctoribus appellatur *fornicatio spiritualis*. Si attendatur cap. 6. h. t. videretur lapsus hujusmodi esse causa divortii perpetui, quando pars innocens separaretur a conjugi reo per Ecclesiæ judicium. At juxta cap. 7. h. t. et fin. ‘*De Convers. Conjugat.*’ quæ saltem uti correctiva cap. 6. h. t. habenda sunt, tenendum est conjugem innocentem redire debere ad conjugem hæreticum vel infidelem, quoties hic conjux sincero animo ejuraverit hæresim vel infidelitatem et catholicam fidem iterum professus fuerit. Unicus excipitur casus si nempe conjux innocens, jure sue libertatis usus, statum incompatibilem cum conjugali interim suscepit.

42. Secunda causa divortii temporanei est *periculum animæ*, ex. gr. si alter conjux a conjugi impellatur ad crimen, vel ad deserendam fidem. Hæc causa adeo valida est ut conjux innocens possit etiam privata auctoritate divertere ad tempus ab alio conjugi; Doctores communiter, argum. cap. 2. h. t. Privata autem auctoritas ad divertendum valet solummodo in foro interno, in foro autem externo si alter conjux resistat, debet probari periculum animæ.

43. Tertia causa pro uxore sunt *minæ et sœvitiae viri*, ex quibus timor probabilis oriatur periculi *vite* vel gravis *damni*. cap. 8. et cap. 13. ‘*De Restit. Spol.*’ Et quidem quando probabilis *timor periculi gravis urgeat*, potest uxor auctoritate etiam privata virum deserere donec causa discutiatur coram judice. Doctores communiter.

44. Quamvis citata capita loquantur de *uxore divertente*, tamen Doctores communiter cum Glossa in cap. 2. h. t. verbis ‘*vel alio*’ tenent etiam virum posse uxorem relinquere et provocare divortium quando cognoscantur ex parte mulieris insidiae et machinationes mortis viri.

Notandum vero est non verificari causam divortii quando minæ vel insidiae constituunt factum prorsus præteritum et finitum, sed requiritur factum permanens et periculum damni futuri.

45. Quarta causa divortii temporanei esse potest *morbus alterius conjugis* de quo supra in tit. *de Conjug. Leprosorum.*

De divortio ob adulterium.

46. Adulterium unius conjugis sive sit vir, sive sit uxor adultera, est conjugi innocentia causa juridica et sufficiens petendi et assequendi divortium perpetuum quoad torum et cohabitationem. Capp. 4. 5. et 8. h. t. Siquidem adoptatum est principium ‘Frangenti fidem, fides frangatur et ipsi’ idest is qui fidem frangit, jus amisit exigendi ab innocentia conjugi observantiam obligationum individuae vitæ consuetudinis, quæ ex matrimonio gignuntur.

Debet vero esse adulterium *formale*, nec sufficit solummodo *materiale*, quemadmodum ex. gr. si uxor vi oppressa commercium carnale haberet, vel saltem absque culpa ex ignorantia facti inculpabili. Ratio est quia adulterium in hac hypothesi non esset crimen.

47. 2º. Ut adulterium jus tribuat divortio, debet esse *totum ex parte unius conjugis*, nam si alter conjux vel promoveat, vel consulat, vel saltem tacite consentiat in adulterium conjugis sui non potest obtainere divortium. Cap. 6. ‘*De adulteriis*’.

48. 3º. Non datur divortium quoties pars innocens remiserit parti adulteræ injuriam. Innocens etiam conjux potest renunciare juri suo exposcendi divortium. Actio enim divortii, quæ dicitur actio civilis nata ex adulterio, exclusive competit conjugi innocentia, qui proinde potest eidem renunciare. Renunciatio autem fieri potest tacite et expresse.

49. Tacite quidem si conjux innocens, optime sciens adulterium alterius conjugis, cum isto habet liberam copulam carnalem. Per eam enim censetur renovata et reintegrata vitæ individuae consuetudo. Pariter præsumitur tacita renunciatio injuriæ adulterii quando pars innocens, licet sciat adulterium alterius publice cognitum, tamen cohabitac pacifice cum parte adultera, et eo magis si eamdem pertractat cum magna familiaritate, et signa indubia amoris ei exhibeat. Ita Doctores communiter. Ratio est quia hæc quæ diximus sunt signa restauratæ amicitiae, et condonationis injuriæ acceptæ.

50. Hæc vero condonatio injuriæ et renunciatio divortii intelligi debet in casu criminis adulterii *semel* commissi. Nam si ageretur de adulterio habituali subingrederetur dispositio Cap. 3. *De adulteriis* quæ ita se habet: ‘Si vir sciens uxorem in fornicatione permanere, vixerit cum ea, etiam ipse criminis particeps

reputatur.' Idest vir est patronus turpitudinis et reus criminis lenocinii. Quare uxorem dimittere debet.

51. Quodsi uxor poeniteat videndum est utrum poenitentia sit sincera, necne. Si fuerit sincera poterit vir uxorem suam retinere; si vero facta et dolosa fuerit poenitentia, non poterit vir cum uxore sua cohabitare. Ficta autem censetur poenitentia quando sœpe a crimine ad poenitentiam transit et viceversa. Ita in *cit. cap. 3. De adulteriis.*

52. 4º. Non conceditur divortium quoties pars, quæ fuerat innocens, et *ipsa adulterii labe maculetur*, antequam juridica feratur divortii sententia. Capp. 4. et 5. h. t. nec non capp. 6. et 7. 'De adulteriis'. Videtur enim intercessisse mutua injuriarum compensatio.

53. Nec difficultas exurgit ex eo quod unus alium in crimen præcesserit, nam cum causa agenda et definienda est ad insti-tuentum juridicum divortium, uterque conjux in eadem versatur conditione fractæ fidei conjugalis.

54. Dixi 'ante sententiam judicis'. Nam inter Doctores quæstio est utrum divortium sustineatur, vel potius reintegranda sit vitæ individuae consuetudo, quando pars quæ fuerit innocens, etiam ipsa post judicis sententiam in adulterium labatur.

In hac quæstione nonnulli docent divortium adhuc sustineri, nam per sententiam judicis, quæ transit in rem judicatam, causa finita est, et inducta est separatio perpetua, qua pars innocens soluta prorsus fuit ab obligationibus conjugalibus erga alium conjugem, et propriam quodammodo libertatem recuperasse dicenda est. Quare in can. 6. caus. 6. q. 4. ceu principium juris statuitur: 'Quod bene semel definitum est . . . nulla debet iteratione retractari.'

55. At inspecto rigore justitiae opinio contraria suo non caret fundamento. Nam sententia nihil aliud producit quam jus coniugii innocentii divertendi ab alio coniuge. At hoc jus non est inamis-sibile, et revera amitti dicendum est per crimen adulterii. Hinc res in eum casum incidisse videtur a quo incipere non poterat. Scilicet solutio matrimonialis conversationis non potuisset abrumpi si non unus solummodo, sed uterque coniugii in adulterium lapsus fuisset. Quare quemadmodum qui prius adulterium patravit amisit jus conjugale acquisitum per matrimonium, ita etiam coniugii

qui fuerat innocens, per adulterium postea patratum amittit jus libertatis acquisitum per sententiam. Cf. c. 5. h. t.

56. Verum quoniam cessatio divortii et reintegratio conju-galis vitæ est res fori externi, quæ nempe importat externam executionem, ea non incipit ante judicis sententiam, quæ ad petitionem alterius conjugis, qui prius deliquerat, destruat priorem divortii sententiam.

57. Quæritur utrum posito adulterio possit pars innocens auctoritate propria divertere.

Quamvis in societate non sint individua, quæ sibi jus reddant, sed legislator et magistratus nomine illius, tamen dantur casus in quibus, posita certa lege, individuum quin turbet publicum ordinem, potest jus suum exercere etiam contra alium invitum. Ex. gr. dominus eripit de manibus furis fugientis res ablatas.

In nostra hypothesi plures Doctores, quidquid alii sentiant, distinguentes inter notorium et occultum adulterium, tenent non quidem in occulto, sed in notorio adulterio posse conjugem innocentem divertere ab alio, quia posito notorio adulterio, jam subintrat lex Evangelica Matth. XIX. permittens divortium. Nec requiri-ritur sententia judicis utpote superflua. Siquidem sententia judicis solummodo potest declarare factum, sed non est ipsa, quæ operatur divortium. Divortium enim procedit ex lege Evangelica. Necesse autem non est declarare factum quod jam evidens est. Nam notorium sive juris, sive facti pro veritate habetur. Hinc coniugii innocens in hac hypothesi divortens, per se non tenetur obediens superiori ecclesiastico præcipiente reintegrationem con-jugii, bene vero potest ad reintegrandum matrimonium ob scandalum quod exoriri posset ex resistentia auctoritati ecclesiastice opposita.

58. Quoad rationem tractationis causæ divortii advertimus regulam determinari in Clem. 2. *De Judic.* et Clem. 2. *De verb. signif.* in quibus capitibus statuitur causas matrimoniales quoad vinculum esse de plano tractandas, idest per judicium summarium, et per consequens non requiri litis contestationem et alias sole-mnitates judicii ordinarii. Quare sufficit ut petitio sive scriptis sive verbis facta, actis Curiæ Episcopalis inseratur, et producantur probationes et defensiones, quæ bonum jus ostendunt, ut sententia secundum justitiam dari possit. Pariter servari non debet dispositio tit. 6. lib. 2. 'ut lite non contestata non procedatur ad

testium receptionem, vel ad sententiam definitivam. Hinc etiam reo contumace judex ulti in causa procedere potest, et sententiam pronuntiare.

59. At Clementinis citatis derogavit Benedictus XIV. per Constit. 'Dei miseratione' quapropter hodierno jure in tractandis et decernendis causis matrimonialibus quoad vinculum praे oculis haberi debent cit. cap. Clementinarum, nec non cit. Constit. 'Dei miseratione' et Instructio S. Congregationis Concilii anni 1840, de qua supra.

60. In ordine vero ad causas divortii quoad torum et cohabitationem servatur ratio et forma judiciorum ordinariorum. Prae oculis autem haberi potest resolutio S. Cong. Conc. in causa Bavariae de qua egimus in tit. 6. lib. 2. 'Ut lite non contestata.'

61. Relate ad onus alendi et educandi filios, ante divortium natos, tenenda norma juris civilis locorum.

62. Antequam tituli decimi noni expositionem expleamus, animadvertisimus non paucos errores sustineri et evulgari ab hostibus Ecclesiæ Catholice contra sanctitatem matrimonii et in specie contra vinculi conjugalis indissolubilitatem. Siquidem moderni politici matrimonium ad meram civilem conditionem reduci posse autumantes, consequentiam hujus theoriæ in medium proferunt et propugnant; videlicet quemadmodum lex civilis est quæ conjuges ligat, ita etiam potest eadem lex conjugii ligamina dissolvere. Qui autem inter ipsos majori utuntur moderatione, contendere satagunt divortium quidem in genere admitti non posse, ob incommoda quæ secum fert contra societatem domesticam, attamen aliquibus in circumstantiis divortium necessarium esse ad graviora mala vitanda, illudque esse adoptandum tamquam minus malum inter mala majora. Hinc in schemate legis proposito discussioni Cameræ Regni, quod Italicum appellant, solummodo sub aliquibus conditionibus, et in quibusdam circumstantiis divortium permittitur.

63. Quoniam vero errores hujusmodi contra divinam dignitatem matrimonii, et præsertim contra ejus perpetuitatem non solum in publicis scholis tum Galliarum, tum Italiæ propagarentur, sed etiam ex editis libris et ephemeredibus in vulgus propagarentur, ad fideles in tanti momenti materia decipiendos, necesse fuit ut Supremi pastoris et Magistri in Ecclesia oraculum prodiret quo erroris tenebræ dissiparentur, et vera lux veritatis fulgeret.

64. Et revera opportuno tempore SS. D. N. Leo Papa XIII. Encyclicas litteras edidit die 10. Februarii a. 1880. incipientes 'Arcanum divinæ consilium' in quibus claro et sapienti eloquio fidelibus totius orbis exposuit catholicam doctrinam de conjugali foedere, deque ejus indissolubili natura, nec non demonstravit maximam utilitatem quæ ex hac doctrina societati civili derivat.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda.

I^o. De donationibus.

1. Donatio definitur 'Liberalitas nullo jure cogente in alium collata, et ab eodem acceptata'. Quamvis donari possit propter causam ex. gr. ad gratum animum ostendendum ob officium vel utilem actionem, quo in casu donatio dicitur remuneratoria, tamen ut verificetur proprie dicta donatio, persona erga quam exercetur liberalitas jus verum habere non debet.

2. In titulo agitur de donationibus inter virum et uxorem, constante, idest contracto jam matrimonio. Ex cap. ult. h. t. habemus confirmatam fuisse legislatione Ecclesiastica dispositionem civilis juris, qua interdicuntur donationes inter virum et uxorem.

Diximus interdictas fuisse donationes *constante matrimonio*, nam inter sponsos possunt fieri donationes etiam intuitu nuptiarum, quæque appellantur donationes *propter nuptias*.

Ut cognoscatur extentio prohibitionis donationum inter conjuges, rationes habendæ sunt praे oculis, ob quas istæ donationes prohibitæ sunt.

3. Rationes autem cur donationes inter virum et uxorem, constante matrimonio, invalidæ sunt coram lege binæ adsignantur 1^a. ne ob nimium amorem unus in alium conjugem rerum suarum prodigus fiat et ad paupertatem redigatur; 2^a. ne amor conjugum purus et honestus fiat venalis, et concordia inter conjuges abrumptatur ob rem ab uno valde concupitam et ab alio denegatam.

4. Ex hisce rationibus sequitur 1^o. a lege interdici solummodo magnas donationes, ob quas unus conjux ditior, alias vero fiat pauper; 2^o. donationes proprie interdici de rebus jam possessis, non autem de rebus vel juribus futuris et possibilibus; 3^o. sequi-